

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

7 September 2001

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **Hengist explains German emigration policy (Geoffrey of Monmouth)**

'Rex ceterorum nobilissime, Saxonia tellus edidit nos, una ex regionibus Germanie. Causa autem aduentus nostri est ut tibi siue alteri principi obsequium nostrum offeramus. Fueraus etenim expulsi a patria nostra nec ob aliud nisi quia consuetudo regni expetebat. Consuetudo nanque in patria nostra est ut, cum habundantia hominum in eadem superuenerit, conueniunt ex diuersis prouintiis principes et totius regni iuuenes coram se uenire precipiunt. Deinde proiecta sorte potiores atque fortiores eligunt qui extera regna petaturi uictum sibi perquirant et patria ex qua orti sunt a superflua multitudine liberetur. Superfluente igitur nouiter in regno nostro hominum copia conuenerunt principes nostri sortemque proicientes elegerunt iuentutem istam quam in presentia tua cernis; preceperunt ut consuetudini ab antiquo statute parerent. Nos quoque duos germanos, quorum ego Hengistus, iste Horsus nuncupamur, prefecerunt ei duces: nam ex ducum progenie progeniti fueraus. Obedientes ergo decretis ab euo sancitis ingressi sumus maria regnumque tuum duce Mercurio petiuimus.'

2. Allegory of Aeneas' descent to the underworld (Bernard Silvester)

Descensus autem ad inferos quadrifarius est: est autem nature unus, virtutis alius, vicii tercius, artificii quartus. Naturalis est nativitas hominis: ea enim incipit naturaliter anima esse in hac caduca regione atque ita in inferis descendere atque a divinitate sua recedere et paulatim in vitium declinare et carnis voluptatibus consentire; sed iste omnium communis est. Est autem alius virtutis qui fit dum sapiens aliquis ad mundana per considerationem descendit, non ut in eis intentionem ponat, sed ut eorum cognita fragilitate, eis abiectis, ad invisibilia penitus se convertat et per creaturarum cognitionem creatorem evidentius cognoscat. Sed hoc modo Orpheus et Hercules qui sapientes habiti sunt descenderunt. Est vero tercius vitii, qui vulgaris est, quo ad temporalia pervenitur atque in eis tota intentio ponitur eisque tota mente servitur nec ab eis amplius dimovetur. Taliter Euridicem legimus descendisse. Hic autem irrevocabilis est. Quartus vero artificialis est dum nigromanticus aliquis artificio nigromantico per aliquod execrabile sacrificium demonum petit colloquium eosque de futura consulit vita.

3. England under Henry I (Hildebert)

Anglia terra ferax, tibi pax diuturna quietem,
multiplicem luxum merx opulenta dedit.
tu nimio nec stricta gelu, nec sidere fervens,
clementi celo temperieque places.
cum pareret Natura parens, varioque favore
divideret dotes omnibus una locis,
elegit potiora tibi, matremque professa
'Insula sis locuples plenaque pacis', ait.
'Quicquid luxus amat, quicquid desiderat usus,
ex te proveniet, aut aliunde tibi.
te siquidem, licet occiduo sub sole latentem,
queret et inveniet merce beata ratis.
tempus erit, quo scepra tibi promissa gubernet
Henricus, nec avis nec patre rege minor.
rege sub hoc pax ecclesie, reverentia legi,
iudicium vitio, gloria rebus erit.'

4. Rise of heresy (Oxford University addresses Archbishop Arundel, 1414)

Prestantissime pater et domine, ab exordio nascentis ecclesie, vinee dei Sabaoth, quam celestis agricola Christus dei filius sui que successores apostoli in sacro suo sanguine plantauerunt, continuo per varias mundi provincias varii pullularunt heretici; qui, sub specie pietatis, virtutis et gratie, spiritu presumptionis inflammati, matrem suam ecclesiam, dei sponsam, suffodere satagebant. Tales etenim, doctores deuotissimos in honore precellere contententes, metaphorica scripturarum eloquia insanis suis sensibus pertinaciter attrahere cupiunt, innitentes ut plurimum nudo sensui literali. Et sic postpositis, immo spretis, mysticis sanctorum patrum dogmatibus, tanquam filii degeneres et perversa viperarum generatio materna sua viscera degenerando corrodunt, concutiunt et erumpunt. Tales itaque, cum in suis astutis ingeniis plene superare non valeant, temporale secum brachium callide provocant, et pronis ad credendum illicita que delectant, contra statum et prelatos ecclesie, vetita quasi licita predicant, ut concussis aut sublatis hostiliter fidei Cristiane columnis suos errores et hereses facilius introducant.